# SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

*Ab Eminentissimo , et Reverendissimo Domino*

## JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

## B U S S I

A R C H I E P I S C O P O.

*Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiæ morem die 24. Augusti 1826.*



B E N E V E N T I MDCCCXXVI.

Apud Gregorium Paternò Typographum Cameralem.

# JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

## CARDINALIS BUSSI

S. Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ

ARCHIEPISCOPUS.

## Decretum de Synodi aperitione.

*In Nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Sacrorum statuta canonum, quibus mentes hominum in hoc vitae aerumnosae curriculo diriguntur, maximo instruuntur praesidio per frequentes Clericorum conventus. Episcopus enim collecto Clero accuratius perpendit, quod remedium in grege Domini serpentibus malis afferendum, in quo Clerici in istis deflectendis modum excedant, quae praetermittant; qui corrigendi vel extirpandi abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepentes: quid vero consilii capiendum in difficilioribus negotiis cautius et absque culpa decernit. Sic Leo Magnus ep. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, quem sibi apud Illyricos legarat, Sacerdotes hortatur, ne ad Synodum accedere recusent: *melius* subjiciens *omnis culpa vitabitur, si inter Sacerdotes Domini collatio frequenter habeatur; emendationi pariter, et caritati plurimum praestat adunata societas* „. Sane Evangelicae doctrinae integritati, diligenti Sacramentorum administrationi, Cleri dignitati,

nitori Ecclesiarum, et aliis dioecesis necessitatibus non aliter consuluit Praedecessorum nostrorum sollicitudo, quam synodalibus conventibus, quos ex antiqua institutione frequenter celebratos intuemur. Ex decretis autem in illis editis, quae ad Cleri disciplinam, ecclesiasticorum bonorum conservationem, et proximorum utilitatem pertinebant, in prima synodo, quam elapso anno de more celebravimus die 24. Augusti a quadam neglectione excitare suscepimus: promulgandas quippe iterum curavimus decreta s. m. Cardinalis Ursini tum circa S. Scripturae expositioni interessentiam, tum de inventariis renovandis, tum etiam super vita et honestate Clericorum. His pauca adjecta fuere, quae ex tempore decernere arbitravimus. Quatenus vero magni momenti res non intercessissent, quominus omnem curam in iis decretis intenderemus, certa die sarcta tecta haberi constitueramus; sed praeter expectationem difficili dioecesis regimine alio vocatis, non omnia perfecta sunt, et multorum etiam optatur observantia.

Verum noxiae fiunt, constitutiones ad bonum dioecesis latae, nisi prorsus solliciti simus de earum exequutione; nec novas expedit condere leges, dum earum, quae constitutae sunt, videmur suo quasi exordio obliterasse memoriam. Praecipuum igitur hodiernae collationis sit, media aptiora proponere, quibus earum quoque legum, auctoritatem curemus, quae licet custodiantur, optatum tamen non pariunt fructum. Pater Misericordiarum Deus allevet onus, quod praeter consuetudinem ferimus, ut alacri libentique animo urgeamus occasionem servandi, et exequendi ea quae in Synodis praescribuntur; cui etiam studeant, qui nostra vice in Dioecesi funguntur, quorum est tempus et solertiam impendere in animarum salutem; ubi enim multorum est in idem consensus, maxime fidendum statutum finem feliciter assequuturos esse.

Quapropter secundam nostram Dioecesanam Synodum, quam hodie celebrandam de more decrevimus, hac ipsa die 24. Augusti 1836, ad Omnipotentis Dei, et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimae semper Virginis Mariae, S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomaei, SS. Pontificum nostrorum Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Philippi Nerii Confessorum; caeterorumque hujus nostrae Civitatis, et Dioecesis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem et laudem apertam esse, atque inceptam volumus, decernimus, et promulgamus.

## TITULUS PRIMUS

### *De confirmatione Synodorum usque modo celebratarum.*

Dioecesanas Synodos a Praedecessoribus nostris sancte, et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quae his nostris decretis non repugnent, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub poenis in illis statutis et comminatis.

Quae vero in secundo titulo primae nostrae Synodi de interessentia sacrae scripturae explanationi praescripsimus, expresse hic mentionem facientes observari volumus, et ut effectu non careant, decernimus Capitulorum, Collegiorum, Clericorum, Congregationum vel alio quoquunque appellentur nomine, punctatores omnes quolibet trimestri a die prima proxime futuri mensis novembris sub poena suspensionis ipso facto incurrenda notulam tam eorum, qui praefatae explanationi statuta die interfuerunt, quam eorum qui causa quacumque etiam legitima abfuerunt ad nostram Curiam deferre teneri: quod et praecipimus personae designandae, quae reliquorum Clericorum notet absentiam.

Item expresse adimpleri mandamus, quae in titulo V. memoratae Synodi, ubi de inventariis et hypothecis tractatur; et illis, qui adhuc fuerunt negligentes, alios quatuor menses pro accurata observantia iterum assignamus.

Praeterea decretum sub poena suspensionis ferendae sententiae latum in titulo VI. de vita, et honestate Clericorum; quod scilicet singuli ex capitulis hujus Civitatis, Vicarii Foranei, et omnes etiam dioecesis curam animarum habentes intra tres menses notulas mulierum, quae cum ipsis habitant, earum nomen, aetatem, et qualitatem exprimentes deferrent, denuo promulgamus, declarantes, paenae supra enunciatae eos, qui per alios tres menses post praesentis in quolibet loco promulgationem contumaces erunt, ipso facto obnoxios fieri.

In hanc ipsam poenam statim incidere declaramus Parrochos, quatenus per supra definitum tempus adhuc contumaces extiterint in tradendo catalogo librorum parrochialium, prout sancivimus in fine tituli septimi.

## TITULUS SECUNDUS

### *De Praebendis, Dignitatibus et Canonicis.*

Alternis cantibus psallendi usus in Ecclesiam invectus a Divo Ignatio Antiocheno Episcopo, qui angelos in somnis vidit alternis choris laudes adorandae Trinitatis concinentes diligenter custodiatur a Dei ministris; quoniam psalmorum cantus adeo emollit fidelium cor, et docile reddit, ac ita in Deum pietatem fovet, ut Sanctus Augustinus asserat in hoc vocum concentu lacrymarum imbrem se cohibere non potuisse: „ *quantum flevi*, inquit confess. c. 6. l. 9., *in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae*

*vocibus commotus acriter* „. Eundem cantum Sanctus Doctor genus consolationis et exhortationis appellat cap. 7. „ *Non longe caeperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis et exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus et cordibus*; et tract. in ps. uti efficax remedium praedicat ad mulcendos inimicorum animos : „ *Quis enim ultra inimicum dicat eum cum quo unam ad Deum emiserit vocem?* „

Hujusmodi itaque orandi modum SS. Patres intrinsecus quodammodo inesse tradunt Clericorum officio; et de Clericis illum negligentibus Imperator Justinianus non dubitat asserere : „ *nomen quidem habent Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei* „ l. omnem n. 2. §. praeterea 10. Cod. de Episc. et Cler. Quanta autem attentione, modestia, studio ac devotione haec adimplere ad eos incumbat, qui praebendis fruuntur tale servitium exigentibus, facile percipitur. Isti enim praeter id, quod est generaliter Clericorum, adsistere debent Choro ex justitia, quam laedunt non solum plane omittentes suum officium, sed negligenter operantes, quod facere tenentur. Unde Canonici, aliique Choro addicti talem circa hoc adhibeant disciplinam, ut merito hodie repeti possint luculenta illa verba Joannis Papae XIII relata in 3. Synodo Card. Ursini, cap. 8. „ *Et quia Beneventanensis Ecclesia in exercendis Dei laudibus magno conatu, piaque religione semper insistit, quod nobis olim apud eam manentibus omnino constat inventum : debemus itaque ex ardore charitatis, atque studio divini cultus, eam causa honoris et reverentiae sublimiores inter caeteras ordinare* „. Graviter vero conscientiam eorum oneratam esse volumus, qui praesunt chorali disciplinae, ut pro tanti muneris parte invigilent super accurata ipsius observantia, et abusus omnes, adversus illam inductos, eliminent, tamquam corruptelam divinum cultum diminuentem.

Ad praefatum igitur, et alium quemcumque effectum statuta cujusvis Capituli, quae capitularia etiam nuncupant, et speciatim per s. m. Cardinalem Ursini condita ac promulgata confirmamus; et praesenti hocce decreto, donec aliter de iis erit dispositum, observari volumus atque decernimus, ac si denovo constituta, de verbo ad verbum hic inserta, ac promulgata iterum fuerint.

## TITULUS TERTIUS.

### *De vita et honestate Clericorum.*

Universum Ecclesiae corpus duobus personarum generibus constare voluit Christus Dominus; quorum praecipuum a temporibus Apostolorum eo consilio Cleri nomen promeruit, ut intelligeretur illius esse, interius atque exterius ita se exibhere, ut omnibus pateat et se Dominum possidere, et esse dignum, qui a Domino possideatur. Concupiscentia quippe carnis, contraria est Deo, et qui Christi sunt, carnem suam crucifiggere debent cum vitiis et concupiscentiis; idcirco ista redolentia, veluti saeculi pompa et omnis ornatus ejus, ex quibus etiam argui solent animi inconstantia, rerum spiritualium displicentia, et morum corruptela, adversantur Clericorum naturae et conditioni. Quae sectantes Clerici non ad aedificationem sanctorum positi sunt, sed ad destructionem; nec salutem animarum curant, sed perniciem ac damnationem. Oportet igitur, ut docet *Trid. sess. 14. c. 6. de Reform.*, Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.

Praecipimus siquidem, ut Clericorum habitus forma et colore modesti sint: singulariter vero prohi-

beinus eos pileum deferre formae, ut dicunt, rotundae laicorum more, nec alis tam elatis, quae valeant terrenae militiae magis fastum, quam coelestis humilitatem praeseferre, item baccilla vetantur non ad ocrporis subsidium, sed ad luxum adhibita, nisi personae dignitas huiusmodi instrumento uti eos sinat: qui huic ordinationi in nostra Civitate contraire audebit, paena carolenorum quatuor qualibet vice, mulctabitur. Toto autem rigore legum volumus coerceri si quorum tanta inoleverit temeritas, Religionis contemptus, *ex Trid. loc. sup. cit.*, ut propriam dignitatem, et honorem Clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus.

Praeterea omni diligentia ab iis, qui mysteriorum Dei dispensatores sunt constituti, augendae animi facultates in scientiis sui officii, propriis comparandis: quoniam pars fieri Dominus non dignabitur talia negligentium, declarante scriptura, eos repulsos, ne Sacerdotio fungantur Deo, qui scientiam repulerunt. Ne cessent Clerici diurna, nocturnaque versare manu libros sacrae Theologiae, sacrorum canonum, et quae ad ista studia conducunt: accademiis scientiarum, et aliis exercitationibus litterariis frequenter adsistant, et prae caeteris casuum conscientiae conferentiis, quae semper in pretio habitae sunt, et Ecclesiasticis viris maximae utilitatis. De istis autem conferentiis constitutiones a Praedecessoribus sancte, et salubriter latas renovamus; et per universam Diaecesim observari praecipimus, cum iis tamen limitationibus, quas requirit nova methodus communi suffragio jam introducta, et laudbiliter a Clero hujus Civitatis custodita.

Abstineant vero Clerici a commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus: item non se immisceant saecularibus negotiis, turpis lucri gratia, vel alia quacumque causa per sacros cano-

nes prohibita. *Qui enim Dominum possidet*, eleganter Divus Hieronimus ep. ad Nepotianum, *et cum Propheta dicit: pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest.*

Quoniam f. r. Cardinalis Ursini in prima Synodo cap. 13. ad tutiorem sui decreti exequutionem, quod respiciebat Clericorum servitium in divinis praestandum, sanctionem renovavit c. m. Maximiliani de Palumbaria in Synodo anni 1594. sequentibus verbis editam „ *singulis saltem tribus mensibus Rectores Ecclesiarum, in quibus convenire deberent* (Clerici) *nobis significent . . . similiter etiam si in habitu, et tonsura Clericalibus incedant, et vitam, ut Clericos decet, agant, ut opportuno, si contrafecerint, per nos remedio providcatur* „; ita et Nos pro observantia illarum rerum, quae in praesenti titulo decretae sunt, eandem adoptamus providentiam mandantes, ut Civitatis Parrochi, et Oppidorum Vicarii Foranei, singulis tribus mensibus incipientibus a promulgatione hujus Synodi referant juxta instructionem; quae publici juris fiet.

## TITULUS ULTIMUS

### I. *De iis, quae ad universas constitutiones pertinent.*

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus, ut suam quisque obligationem agnoscat praecipue Canonici, et alii de nostro Capitulo vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parrochi et Archipresbyteri, et beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo, quod ad vitam, et honestatem Clericorum pertinet infra mensem, postquam impressa fuerit haec nostra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrii nostro infligen-